


05

A

2219





Zg^{va}

CUM DEO.
CIRCENSES

Quasi,
In Circo Jctorum Wittenbergensium
agitata
hac

QVADRIGA,

PRÆSIDE

Viro Nobilissimo

DN. GEORGIO MICHAELE
HEBERO,

J. U. D. & Prof. Publ. Collegiorumque Juridicor.
quæ ibi sunt, Adessore.

Edidit

PRO LICENTIA

Quam vocant,


JURIS DOCTORUM JURIBUS

utendi

SIGISMUND. RICHARD. JAUCHIUS,
Misenensis.

die 23. Octobr. A. C. 1683.

Hor. ante & pomerid.



WITTENBERGÆ,

Typis MATTHÆI HENCKELII, Academ. Typogr.

24

MAGNATIBUS
GENERIS SPLENDORE & HO-
NORUM FULGORE
ILLUSTRISSIMIS,
DN. DN. NICOLAO
LIB. BARONI à GERSDORE,

Dynastæ in Baruth/Hennersdorff/Breda/Hauswal-
da und Rochel. S.R. I. Bannerio, Potentiss. ELECT. SAX. Consilii
Sanctioris DIRECTORI, & Comiti Sacrar. Largitionum,
&c. &c.

DN. DN. HENRICO
GEBHARDO à MILTIZ,

Dynastæ in Burckersdorff/Schönbach/Rußwalda/
Zehist/Langenhennersdorff/Stöschitz/Savernitz und Con-
stappel/Potentiss. ELECT. SAX. Consiliario Intimo, &
Magno Cancellario, &c. &c.



DOMINIS

SUIS

CLEMENTISSIMIS

confecrat

AUTOR.

05 A

2219

1907

42



DEDICATIO.



Circensibus Romano

rum ludis, Domini Clementissimi, quibus
 quadrigas, bigasque; &* equos desultori-
 os agitabant, solennis pompa præmittebatur,
 qua non Deorum modo simulacra, sed & Prin-
 cipum Imagines thensis, ferculisque præfere-
 bant. Meis ego Circensibus quid in pompam
 majus, quam illustria Nomina Vestra præmit-
 terem, ceu quæ imaginem vestram satis, ni fal-
 lor, exprimunt, non habui; Et quemadmo-
 dum Circenses quondam non in defunctorum
 solum, sed & superstitum honorem, ac pro Sa-
 lute Principum nonnunquam edebantur, quod
 Neronem Principem Juventutis pro Claudii
 patris salute factitasse legimus: Ita meos ad
 Honorem quoque Vestrum tendentes saluti si-
 mul vestræ devovendos duxi. Denique; sicut qua-
 drigas

**De quibus in e-
 leg. L. 20. pr. D.
 de Præscr. verb.
 Sueton. in Ju-
 lio c. 39.
 Vid. Dionys.
 Halicarnass.
 lib. 7. & Alex.
 Genial. dier.
 lib. 5. c. 8.*

*Sueton. in Ca-
 ligula c. 15.*

*Sueton. in
 Neron. c. 7.*



Isidorus 18. c. 36.

Sueton. Do-

mit. c. 7.

Alex. Genial.

dier. d. 1.

drigas olim Soli tanquam moderatori quatuor
anni temporum consecrarunt, ita Vobis, in-
star siderum late sparsis prudentiæ radiis Or-
bem Reipubl. nostræ illustrantibus pariter &
moderantibus, quadrigam hanc jure merito-
que dedicavi. Et quos alios mihi Patronos
deligerem, cum Vos veri sitis omnium Virtu-
tis Certaminum brabeutæ. Sed imitemini
quæso Principes Romanos, qui, cum quatuor
essent agitatorum factiones coloribus suis di-
stinctæ, eam cui se dedidissent, summo studio
favore atque commodis prosequerentur. Sic
Vos meis quoque studiis favete, atque in gra-
tiam vestram me receptum publicè testami-
ni. Quin & curate obsecro, ut ab injuriis ad-
versarum factionum, quibus nemo in hoc
vitæ stadio facile caret, Vestrum Clien-
tem sartum tectum,
conservetis.





PRÆFATIO.

DE Quadrigâ scribendi *occafio* mihi planè singularis fuit, quàm explicare forfan at-
tinet, ne inanem cum nonnullis glori-
olam ex rara materia, ut loqui amant,
captasse videar. Ante hos nimirum de-
cem annos, cum *Jenæ* adhuc studio juris
operam navarem, atque sub discessum in-
de meum Specimen aliquod in publi-
cum edere constituissem, *de Animali bruto* conscribere
nonnihil cœpi. Verum hoc opus vixdum aggresso tanta
mihi rerum, æquidem pulcherrimarum, moles objecta est
est, ut istud juxta factam delineationem absolvere ob an-
gustiam temporis de sperarem, adeoque in medio tunc i-
tinere deficerem. Igitur partem laboris exantlati eam
quæ *de equis publicis* est, *von Ritter und Post-Pfer-*
den decerptam disputationis causa publicè proposui. Cu-
jus rei cum in præsentia meminissem, simul recolui ani-
mo Quadrigam, quæ mihi in affecto isto de Animali scri-
pto pertractata esset. Itaque non inconveniens esse arbi-
tratus sum, equis publicis *Quadrigam privatam* subjice-
re disputandam, eo potissimum consilio, ne labor noster,
cujus & absolvendi & divulgandi spes æquè incerta est, in
cassum plane foret, sed pars saltem ejus aliqua in publi-
cum nunc denuò prodiret. Ulus tamen sum non Mango-
num sed Agitatorum more, dum quadrigam hanc aliâ pau-
lò facie & sine fuce tamen exornatam *Circensibus* quasi
publicis represento.

A

De

DE QVADRIGA.

TRACTATIO GENERALIS.

§. 1.

Methodus



Proposituris nobis Jus Quadrigæ, prima cura de *Methodo* esse debet; & videbatur quidem accuratissime ita tradi posse, si prius Naturam Quadrigæ in constituendo, conservando & dissolvendo per *causas* investigaremus, Dein *affectionibus* perpenſis *conclusiones* juris hinc inde eliceremus; in quo certe vera juris philosophia consistit, secundum quam præcipuè *forma* quadrigæ, *Relatio* puta, juxtaque *Termini & fundamentum* Relationis nec non *ratio fundandi* explicanda forent, Sed cum hæc aliis ob nimiam subtilitatem displicere possint; foro nos accommodabimus, jus quadrigæ populariter ita proposituri, ut à recepta Juris *in Re & ad Rem* divisione haud procul abeundo Quadriga nostra per *Quaterna Spatia* utriusque circi decurrat. Præmissis enim Appellatione, Definitione ac Differentia, dein *ex classe Jurium in re* (1) de Dominio & Vindicatione, (2) de Possessione & Usucapione, (3) de Usufructu & Usu (4) de Pignore: *ex classe Jurium ad rem.* (1) de Emptione & Redhibitione, (2) de Societate, (3) de Legato (4) de Damno quadrigæ, ordine dicemus.

*Quadrigæ
Appellatio.*

Homonymia.

§. 2. Quadriga num rectè dicatur, magno illi Grammatico Julio Cæsari dubitatum lib. de Analogia, Gellius refert. *l. 19. Noct. Att. c. 8.* putavit enim Quadrigas in plurali duntaxat appellandas; Sed tamen à Marco Varrone Quadrigam numero singulari dictam idem se invenisse memorat. Icti certè nostri ita usurpare nihil dubitarunt, quos merito sequimur, cum Cæsar verbis legem dare nequiverit, Quadriga autem aliquando currum quadrijugem sive curriculum quadrigarum, ut Cicero *pro Muræna* loquitur, i. e. qui quatuor eqvis agitur, significat, *Einn Wagen mit vier Pferden/ &c.* Sæpius sola quatuor Jumenta vehendo curru destinata, einen *Zug Pferde von vieren/ oder einen vierspännigen Zug Pferde/ Quid*

Quid verò magis propriè dicatur inquirendum est? Et mihi quidem videtur Quadrigæ appellatio ad eqvos magis pertinere, vel Ictis nostris autoribus, qui quadrigam semper de solis eqvis accipiunt *L. 10. §. 8. quem. Ususfr. am. L. 34. §. 1. L. 38. §. ult. de Edil. Ed. l. 65. §. 1. de Legat. II.* Ad currum verò trahi per Metonymiam adjuncti pro subjecto; nec *Zasius* ad stipulor, qui ad *L. Scire debemus 29. d. V. O.* existimat, Quadrigam sine curru per Synechdochen partis pro toto dici. Porro Quadrigæ appellatio licet & mulabus & forte bobus etiam, ubi jumentorum loco sunt, competat, frequentius tamen de eqvis usurpatur & sic quoque in *L. 34. in f. D. de Edil. Ed.* Harum quæstionum *Usus* inferius sub Quadriga legata patebit.

Zasius not.

§. 3. *Definimus* Quadrigam Corpus quatuor jumentorum quod hominis destinatione tale est. Nam ut eleganter *Pomponius* in *L. Rerum mixtura 30. D. de Usupr. & Usuc. scribit.* Triæ genera sunt Corporum, unum quod continetur uno spiritu, ut homo, equus, tignum, lapis & similia, Alterum quod ex contingentibus, hoc est pluribus inter se coherentibus constat, ut ædificium, navis, Tertium quod ex distantibus constat, ut corpora plura non soluta, sed uni nomini subjecta, velut populus, legio, Grex. Atque ultimi hujus generis quadrigam esse nemo temere negabit.

Definitio.

§. 4. Itaque differt Quadriga ab eqvis quatuor solutis i. e. nihil commune habentibus, quod hi unum corpus non constituent, nec uni nomini subjiciantur. Differt etiam à Polia, quod verbi à Græcis mutuatum *Ulpianus* pro eqvatio ponit in *L. 38. in f. D. de Edil. Ed.* Nobisq; est eine Stutterey / nec non æque rectè eine Koppel Pferde. Eqvatum enim incertæ multitudinis corpus est, quod sive auctum sive deminutum fuerit, idem est & de essentia sua nihil perdit. Quo patet quadrigam eqvatum non rectè dici, cum quadriga nec augeri nec minui salva integritate sua possit.

Differentia à quatuor eqvis. A Polia.

TRACTATIO SPECIALIS.

Spatium I.

De Dominio & Vindicatione Quadrigæ.

§. 1.

*Quadriga do-
minium cui
acquiratur.*

Cas. 1.

Quadrigâ factâ quamvis nova species facta videri non possit, quippe cum singuli equi speciem suam retineant, *L. 23. §. 5. D. d. R. D.* tamen cum circa *dominium* quadrigæ acquirendum sana ratio idem ferè suggerat, quod *in Specificatione* atque *commixtione* juris est, rectè licebit ab his modis *argumentum* ducere: præsertim cum ipse Imperator Gregis dominium ad Commixtionis causam exigat. *in §. Quod si frumentum 28. §. d. R. D.* Igitur si quis ex alienis equis quadrigam constituat, non ipse dominus ejus erit, sed is cuius equi fuerint. Nam cum singula corpora speciem suam retineant, magis etiam ita juris esse debet, quam ubi nova species ad priorem materiam reverti potest *juxta §. cum ex aliena 25. §. d. R. D.* Quod si plures equorum ab alio junctorum domini fuerint, siquidem eorum voluntate quadrigam fecerit, omnibus ea communis erit. Sed si insciis eis aut invitis, non erit ea communis, quoniam singula corpora in substantia sua durant *juxta §. Quod si frumentum 28. d. R. D.* & secundum hæc nullius omninò dominium quadrigæ erit.

Cas. 2.

*Diversum in
grege.*

Sed si partim ex suis partim ex alienis equis quadrigam fecerit quis, dubitandum non est, dominum eum esse, cum non solùm operam suam in eligendo, sed & partem materiæ præstiterit *arg. d. §. Cum ex aliena 25. §. d. R. D.* Igitur si ex triga mea & equo Titii quadrigam fecero, non ea Titio communis, sed mea erit. Nam nec grex intelligitur communis, si pecora Titii nostris pecoribus mista fuerint, *d. §. Quod si frumentum 28. §. d. R. D.* Idemq; juris erit, si ex Triga Titii & equo meo quadrigam fecero. Quamvis enim in grege diversum sit, puta si ex grege Titii & uno alterove capite nostro unum gregem fecerimus, ubi sane non noster grex intelligitur, sed Titii: differentia tamen in eo est, quod hoc casu non grex novus constitutus, sed qui prius erat, nostris pecoribus auctus.

auctus fuerit; Ibi autem Quadriga quæ antea non fuit, constituta est. Et sane si quis ex tot capitibus Titii, quot gregem non constituunt, & uno capite ipsius proprio gregem fecerit, ejus eum fore nihil dubito. Equi ergo alieni in Quadriga nostris accedunt, aut quadrigam potius sequuntur. Harum verò definitionum *Ufus* in Vindicatione quadrigæ luculentus est, de qua nunc agendum.

§. 2. Speciali in rem actione *quadrigam vindicari* posse, *Quadrigæ Vindicatio*, gregis exemplo manifestum est in *L. 1. §. ult. d. R. V.* & quidem si *equi omnes nostri* sint, nihil videtur interesse à nobis quadriga facta sit, an à possessore, qui singulos equos nostros nactus est. Sed si *equi partim nostri, partim alieni* sint, refert, an ipsi quadrigam eam fecerimus, & sufficiet ipsam quadrigam nostram esse, licet singula capita nostra non sint. Quadriga enim non singula corpora vindicabuntur, *juxta d. L. 1. L. ult. d. R. V. L. 3. pr. eod.* quod sic intelligendum, ut in restitutionem veniant etiam corpora aliena. Sed *si quadriga nostra non fuerit*, verum possessor ex duorum dominorum equis quadrigam constituerit, neuter horum eam in solidum, sed nec partem totius ejus vindicabit, licet par utriusque numerus fuerit *per L. 2. D. d. R. V.* Similiter ergo si unius dominorum tres sint equi, alterius unus, neuter quotam partem quadrigæ vindicabit. *Ratio est*, quoniam quadriga sine eorum voluntate juncta communis facta non est. Igitur singuli singulos equos suos duntaxat vindicabunt. Cujus rei insignis *differentia* tunc maxime conspicitur, ubi possessor facultatem restituendi non habet, sed ad æstimationem equorum deveniendum est. Hic enim non quadrigæ æstimatio restituenda, etiamsi forte possessor quadrigam ex duorum dominorum equis factam caro vendiderit, sed singulorum duntaxat equorum pretium præstabit. Patet hinc et *Differentia* iam, multum interesse secundum apices juris, *quadriga petatur an inter Quadrigam & quatuor equos petitos.* Nam *quadriga petita*, si ea nostra non sit, etiamsi capita ejus quædam nostra sint, nihil omnino & ne nostra quidem capita obtinebimus. Quod tamen vereor, ut in praxi hominibus, quæ vera juris ratio ob prætensam æquitatem sæpius confundi solet, satis attendatur. Contra, *quatuor equis petitis*, etiamsi quadriga nostra sit, in restitutionem non venient aliena capita.

*Dominus ali-
eni capitis hoc
nihilominus à
possessore rectè
vindicat.*

*Vindicationi
Quadrigæ
quatenus ob-
stet Exceptio
Rei iudicatæ.*

*Expl. L. 21. pr.
D. d. Exc. rei
jud.*

Porro, pone quadrigæ nostræ aliena tantum capita superesse, si ut singulos vindicem à possessore, nihil obtinebo, si ut partem quadrigæ meæ, restituentur mihi; Adhuc enim possum quadrigam vindicare per *L. 3. in f. p. D. d. Rei Vind.* Quod autem diximus totam Quadrigam à Domino ejus rectè vindicari, etiamsi aliena capita intersint, nihil impedit quo minùs horum dominus, si possessor quadrigam nondum vindicaverit, singula sua capita quoque vindicet, & quidem directò statim; Quamvis enim ea quadrigæ accedant, *Paulus tamen ait: In his Corporibus, quæ ex distantibus corporibus essent, constat singulas partes retinere propriam suam speciem, nec ita toti accedere, ut prius actione ad exhibendum opus sit, quemadmodum in corporibus coherentibus, quæ uno spiritu continentur. L. 23. §. 5. D. d. R. V.*

§. 3. Petitioni autem quadrigæ quatenus *Exceptio Rei iudicatæ* obstet, videndum est. Et quidem, Quadriga petita si postea speciale corpus ex ea petam quod adfuit in ea quadriga, dicemus obstaturam exceptionem cum Pomponio in *L. 21. pr. d. Exc. Rei. jud.* ubi *de grege* idem adferit. Quod tamen non aliter accipiendum est, quam si petens gregem vel quadrigam obtinuit, & post speciale corpus iterum petat. Nam si victus est in grege vel quadriga petenda, nihil obstabit exceptio, quo minus speciale corpus postea rectè petat, cum sane speciale corpus nostrum esse possit, etiamsi quadriga non sit nostra, & ideo si iudicatum est quadrigam nostram non esse, de singulis corporibus non videbitur iudicatum, quasi nullum quadrigæ caput nostrum sit; sed idem potius obtinebit quod in tignis & lapidibus ædium Ulpianus tradit in *L. 7. §. 2. D. d. Exc. rei jud. non nocere hanc exceptionem si quis insulam petierit, deinde tigna vel lapides petat, quoniam cujus insula sit, non utiq; cæmenta sint, id est, etiamsi iudicatum ferit, insulam possessoris esse, non tamen ideo iudicatum intelligi, cæmenta ejus esse.*

Spa-

Spatium II.

De possessione & usucapione
quadrigæ.

§. I.

Quadrigæ an sit *possessio* non ineleganter quæritur? Et *Pomponius* quidem in grege respondit, *Universi gregis* nullam esse possessionem sed singulorum tantum animalium. *L. Rerum 30. §. 2. D. d. Usucap.* Huic videtur *obstare*, quod universus grex possit vindicari *L. 1. §. ult. & L. 56. d. R. V.* Ergo & poterit possideri. Verum *distingui*mus inter *factum* possidendi & *causam* possessionis, Facto quidem universus grex videtur possideri, id quod ad vindicationem sufficit, ut quæ ex dominio actoris, non rei possessione oritur. Sed causa possessionis, quoad effectum, juris atque conditionem usucapiendi, non ad universum gregem sed singulas tantum oves pertinet, cum singularum possit esse diversa causa possessionis. Et ideo singula tantum animalia possideri intelliguntur. Secundum hæc dicendum est ex ratione juris *quadrigæ nullam possessionem esse*, sed singulos equos duntaxat possideri.

Possessio quadrigæ.

§. 2. Quemadmodum autem universæ quadrigæ possessio non est, ita *nec Usucapio*, Proinde si quadrigæ furtivum caput infit, haut capietur usu, etiamsi cæteri, quibus accessit, bona fide possideantur. Sed etsi caput non furtivum quadrigæ junctum sit, à tempore, quo illud primum possideri coepit, Usucapio procedet, non à tempore, quo universa quadriga possessa est, aut quo huic junctum est, Nec movet, quod quadriga unum corpus ita constituit, ut in locum decedentis alio substituto, cæteris quidem paribus, eadem quadriga censeatur, adeoque substitutus quadrigæ accedat: *Accessio enim ad domini tantum, non & possessionis causam pertinet*, neque caput junctum prioris possessionis fit accessio, quasi tanquam pars quadrigæ possideatur. Alioquin admittendum foret causam possessionis ejus mutari, ita ut si furtivum illud sit, sine vitio tamen possideatur, quoniam quadriga, cui junctum est, vitiosa non sit. Id quod juri non convenit. Et hoc est, quod

Quadrigæ nulli usucapio.

quod Pomponius in Grege tractat d. L. Rerum 30. §. 2. D. d. Usucap. Etsi, ait, ea natura gregis sit, ut adjectionibus corporum maneat idem, non tamen universi gregis ulla est usucapio, sed singulorum animalium uti possessio, ita Usucapio, nec si quid emtum immixtum fuerit gregi, augendi ejus gratia, idcirco possessionis ejus causa mutabitur, ut si reliquus grex domini mei sit, hæc quoque ovis, sed singulæ causam suam habebunt, ita, ut si quæ furtivæ erunt, sint quidem ex grege, non tamen usucapiantur. Ubi Pomponius illis verbis, ut si reliquus grex domini mei sit, hæc quoque ovis, diversam domini à possessione causam indicat, scil. Ovem quidem dominio gregis accedere, non item & possessioni. Ratio diversitatis est, quod possessio facti sit, Dominium verò juris.

Spatium III.

De Usufructu & Usu Quadrigæ.

§. I.

*Usufructuarius
quadrigæ non
singulis utetur.
Nec foetum
habet.
aliud in grege
Ratio.*

*Item in usu-
fructu quatuor
eqvorum*

Circa Usufructum quadrigæ in præsentia duo considerabimus, in quo ille consistat, & qua ratione pereat. Probè autem discernendus est Usufructus quatuor eqvorum ab Usufructu quadrigæ, monitore Ulpiano in L. 10. §. 8. *Quib. mod. Usufr. amitt.* Et sane qui quadrigæ quæ talis usumfructum habet, non singulorum eqvorum sed *universæ* tantum quadrigæ usumfructum habebit, ita ut non singulis sed omnibus uti frui debeat. Secundum hæc dicendum quoque est *foetus eqvorum* quadrigæ illius in fructu non esse quoniam quadrigæ quæ talis nulla est foetura. Atque etiam *ingrege* olim de hoc videtur dubitatum Sabinus tamen & Cassius foetus pecorum opinati sunt ad fructuarium gregis pertinere L. 68. §. 1. D. de Usufr. Sed ratio hujus diversa est, quoniam gregis ut talis Usufructus ferè nullus esse potest, quadrigæ autem Usufructus in vecturis major etiam est, quam singulorum eqvorum. Planè, cui quatuor eqvorum Usufructus constitutus est, non singulis tantum uti frui poterit, sed & foetus habebit per d. L. 68. §. 1. de Usufr. quæ licet de foetu pecorum loquatur, injumentis tamen eadem juris ratio videtur. Sed si unus ex quatuor illis decesserit *num* fructuarius ex foetura alium *submittere* debet,

bit? Et non puto, Quod enim alias dicitur debere fructuari-
um submittere, toties verum est, quoties gregis vel armenti vel
eqviti id est universitatis ususfructus legatus est, cæterum si sin-
gulorum capitum, nihil supplebit *L. 70. §. 3. de Usufr.* Licet au-
tem eqvitiū quatuor eqvis constare forsan possit, per se tamen
ususfructus quatuor eqvorum ab usufructu eqviti tot eqvorum
differt.

§. 2. Amittitur Ususfructus quadrigæ, si unus eqvorum
decesserit, quod bellè Ulpianus tractat in *L. 10. §. 8. quib. mod. U-*
susfr. am. Quadrigæ inquit Usufructu legato, si unus ex eqvis de-
cesserit, an extinguatur Ususfructus, queritur? Ego puto multum
interesse, eqvorum, an quadrigæ Ususfructus sit legatus, Nam si eqvo-
rum, supererit in residuis, si quadrigæ, non remanebit, quoniam qua-
drigæ esse desit. Id quod ad factum, non ad jus referendum est,
quasi omnino uno æqvo mortuo quadrigæ esse desinat. Proin-
rectè hoc Paulus in *L. seq. 11.* ita limitat, nisi alius ante diem legati
cedentem substitutus sit. Cujus exceptionis ratio est, quoniam
eqvo substituto eadem quadrigæ intelligitur, atque ex ipsa substi-
tutione manifestum est, quadrigam non periisse sed redintegra-
tam. Nam quod uno alterove eqvo decedente quadrigæ pere-
at, non omnino verum est, sed ita demum si Dominus animum
supplendi eam non habuerit. Igitur alio eqvo substituto eadem
quadrigæ censetur. Quod autem simpliciter Paulus ait, nisi ante
diem legati cedentem alius substitutus sit, innuere videtur, nihil
interesse, sive à testatore sive ab hærede substitutus fuerit, Atta-
men hoc non ita exaudiendum reor, quasi fructuarius eqvo etiam
illo, quem hæres substituit, uti frui possit, sed potius, quod in re-
liquis Ususfructus super sit, non quidem tanquam in singulis, sed
tanquam in parte quadrigæ. Quod enim eqvo ab hærede sub-
stituto eadem quadrigæ intelligitur, eò tantum pertinet, ne usus-
fructus omnino periisse intelligatur, scil. quoniam quadrigam
non periisse appareat, non etiam, ut quod ex Usufructu perit, re-
stituatur. Hæres igitur in Usufructu quadrigæ hætenus concur-
ret, ut eqvi à se substituti plenam proprietatem habeat, Planè si
testator forte animum supplendi quadrigam non habuerit, hærede
alium substituente, non eadem quadrigæ, sed nova videbitur; quo-

B

niam

Ususfructus
quadrigæ a-
missio uno mor-
tuo

Exceptio Pau-
licijus Ratio
Es

Explicatio.

Supplementū
hujus quæstio-
nis inferius.
De Usu Qua-
drigæ.

niam hæres tres reliquos, non tanquam partem quadrigæ, sed tanquam singulos, aut certe uti trigam à testatore accepit. Denique videtur hac in re *distinctio* illa adhibenda quam Papinianus tradit in *L. 65. §. 1. d. Legat. 2.* Sed de hac *infra* plenius videbimus.

§. 3. Quod autem de Usufructu Quadrigæ diximus idem & de *Usu* ejus *fere* intelligendum est, scil. ut quis non nisi Quadriga universa uti possit, si aliud actum non appareat, quodque quadrigâ dissolutâ *Usus* pereat.

Spatium IV.

De Pignore Quadrigæ.

§. 1.

Quamvis *Pignus Quadrigæ* ad materiam potius ejus quam formam pertinere videri possit, facile tamen intelligitur, illud à quatuor equis obligatis multum differre, Quadrigâ enim pignori obligata rursus non singuli equi sed unum *corpus obligatum* censebitur. Itaque *Creditor* in pignore persequendo, etiamsi in uno securus fortè sit, non unum tamen alterumve, sed *totam quadrigam vindicabit*, nisi tamen singulis penes possessorem deprehensis. Nam & debitoris & possessoris interest, quadrigam non dissolvi *arg. L. 38. §. 14. d. Edil. Ed.* cum majus longè soleat esse pretium quadrigæ quam singulorum equorum. Igitur & in vendendo pignore tam juris ratio, quam utilitas debitoris exigit, ne singuli equi, forte tot modò quod credito sufficientiant, distrahantur, sed tota potius quadriga vendatur. Iniquum quippe foret eam damno debitoris destrui. *arg. d. L. 38. §. 14. d. Edil. Ed.* Id quod *hodiè* in *Executione*, quam vocant, observandum nemo dubitabit, adeò, ut etiamsi quadriga specialiter obligata non sit, tamen in mobilibus distrahendis, ubi ad quadrigam forte deventum fuerit, ejus ratio habenda sit; idque nisi fiat, de excessu *Executionis* Principem Debitor appellare poterit. *arg. L. 30. C. d. Appell. ib. in Fortunarum dispendio provocationem esse concessam.* In quæstione porro, an Quadriga uni obligata postmodum alteri sine fraude obligata fuerit, qua de *in L. 36. §. 1. d.*

Quadrigam
obligatam non
nisi totam Cre-
ditor persequi
potest,

nec distrahi ni-
si tota debet.

ampliatio

Quadriga uni
obligata, an al-

Pign.

Pign. act. non singulorum capitum sed universæ quadrigæ estimatio erit facienda. Quemadmodum autem damno debitoris quadriga dissolvi non debet: ita multo minus ipse in fraudem Creditoris eam poterit dissolvere, Illud verò dubitationem recipit, an non equum ex quadriga obligata alienare debitor ita possit, si alium substituatur? Ubi sic distinguendum est. Nam aut obligata tantum est quadriga, & potest Debitor etiam totam invito Creditore alienare, non tamen sine pignoris causa. Res enim cum causa sua transit. *L. 18. §. 2. D. d. Pignor. act. L. 12. D. d. Distr. Pignor.* Sed si quadriga pignerata Creditori tradita fuerit, dicendum est sine voluntate Creditoris neque totam neque unum ex iis alienare posse, quamvis eadem quadriga jure habeatur, *per L. 15. Cod. d. Pign.* Attamen si creditoris nihil interfuturum sit, puta si debitor æque bonum substituatur, permittendum ei est judicis arbitrio justam ob causam alienare. *arg. d. L. 15. C. d. Pign. verb. deterior.* Quin etsi invito insciove Creditore ac sine jussu judicis alienaverit, audiendus erit, si probare velit, alium æque bonum substitutum, aut substituturum se promittat. Quod si pejorem substituerit, num Creditor alienatum possit persequi dispicimus. Quæstio in eo est, an suppleta licet quadriga pignus in alienato eqvo nihilominus duret? Movet, quod quadriga suppleta eadem videatur; & ideo si equus substitutus quadrigæ pars est, atque pignori tenet, non poterit alienatus amplius ad eam pertinere; adeoque nec pignus tenebit, cum non singuli equi sed quadriga obligata sit. Veruntamen dicendum est, alienatum equum sine consensu Creditoris, aut permissu judicis, desinere quidem quadrigæ esse, sed causam pignoris manere, & ideo creditorem recte eum vindicaturum tanquam partem quadrigæ obligatæ. Res enim jure pignoris obligata cum sua causa ad autorem transit *L. 12. Cod. d. distr. pign.* Equus denique substitutus ratione pignoris pro parte quadrigæ non habebitur.

§. 2. Quadrigæ pignus an intercidat, si unus equorum decesserit, nunc quærimus? Quod videatur statuendum, quoniam quadriga desit esse. *per L. 10. in f. quib. mod. Ususfr. amitt.* Sed dubitari non debet pignus in reliquis superesse. Nam primò, si non factum sed jus spectamus, non semper & omnino verum est, u-

teri ritè obligatur

Debitor quadrenus alienare unum ex quadriga obligata possit?

Creditor alienatum an persequi possit? Rat. dubit.

Decis.

Quadrigæ pignus uno mortuo.

no equorum mortuo quadrigam esse desiisse, præsertim ubi Domino animus est quadrigam supplendi. Destinatio enim hominis adeò quadrigam deminutam sustinet, ut uno alterove mortuo, quadriga potius mutila & manca, quam triga vel biga intelligatur. Quemadmodum enim animal quadrupes duobus pedibus amissis non idcirco ejus fit generis, quæ bipedes incedunt, ita nec quadriga fit triga, uno licet membro deperdito. Id quod & juris ratione confirmatur, quo quadriga deminui, atque suppleri potest *L. 11. D. quib. mod. Usufr. am. L. 65. §. 1. d. Legat. II.* adeoque alio equo substituto pro una eademque habetur, *arg. L. 22. D. d. Leg. 1.* quod fieri non posset, si quadriga omnino esse desiisset. Non entis enim nullæ sunt affectiones. Deinde etiamsi quadriga forte desiit esse, v. g. si equus quadrigam demonstrans decesserit, *juxta Papinianum in L. 65. §. 1. d. Leg. 11.* aut si Debitori non supplendi eam consilium fuerit, alia tamen est ratio ususfructus, alia pignoris. In illo quidem verum est, remutata usumfructum extingui. *L. 5. §. 2. Quib. mod. Usufr. am.* In pignore contra servatur *per L. 16. §. 2. de Pignor. & Hyp.* Pignus enim materiam rei afficit, Quicquid ergo ex re pignorata superest, in eo pignoris obligatio durat. An verò, in locum demortuorum aliis equis substitutis & hi pignori teneantur, alia quæstio est? Et videtur quidem exemplo gregis dicendum equos etiam substitutos teneri adeò, ut etsi prioribus capitibus decedentibus tota quadriga fuerit renovata, pignori teneatur, *per L. 13. pr. D. de Pignor. & Hyp.* Sed ex distinctione Papiniani, quam legatis accomodavit, *in L. 65. §. 1. de Leg. II.* potius ita distingvendum erit, ut si equus qui quadrigam demonstrabat, decesserit, substitutus pignori non obligetur, quoniam equo primario sublato corpus quadrigæ ita dissolvitur, ut alio substituto non eadem, sed nova quadriga intelligatur *arg. d. L. 65. §. 1. d. Leg. II.* quam infra curate explanabimus. Sin vero alius quadrigæ equus decesserit, substitutus omnino tenebitur, quia tunc quadriga non dissoluta sed deminuta solum intelligitur, & ideò substitutus reliquis ita accedit, ut eadem quadriga habeatur. *arg. d. L. 65. §. 1. de Leg. II.* idemque juris, quod in grege obtinebit. *juxta d. L. 13. pr. D. de pignor. & Hyp.*

Substituti an pignori teneantur.

De Emtione & Redhibitione Quadrigæ.

§. I.

EMtione quadrigæ est vel *certorum* corporum vel *incertorum*, puta si quis quadrigam ex equitio deligendam emat. Quadriga ergo *certorum* corporum vendita, *perfecta* videtur emtione simul atque de pretio convenerit. Nec interesse puto, siue universaliter uno pretio vendita sit, an in singula corpora certo pretio, quamvis enim Gajus *circ a gregem* ita distingvat in *L. 35. §. 6. d. Contrab. empt.* videtur tamen non de certis corporibus loqui, sed de incertis, quod vel ex *sequenti* §. patet. Corporum enim gregis ea est ratio, ut non recte singula prius inspicere possint, quam adnumerata. Propterea ubi in singula corpora pretium constitutum est, videtur de adnumerandis corporibus tacita conditione conventum, & ideo ante adnumerationem emtione non censetur perfecta. In quadriga contra nihil opus est adnumeratione, ut cuius corpora simul omnia bene contemplari licet. *Incertorum* porro Corporum vendita quadriga, etiam si de pretio convenit, non prius tamen *perfecta* emtione videbitur quam omnes quatuor equi adnumerati vel delecti sint in quadrigam. Ratio est, quoniam in certum corpus nondum consensus est. Et ideo omne *periculum est Venditoris*. Nec interest, siue unum omnibus pretium simul dictum sit, siue in singula Corpora *per L. 35. §. 7. d. Contrab. empt.* quod verum puto, etiam si Emtor jamdum quædam eligere ceperit. Nam si cætera displiceant, vel alias poenitere velit, nihil emtum intelligitur; ubi enim Quadrigæ venditio celebratur, non nisi de quatuor simul corporibus actum intelligitur, *per L. 34. §. 1. de Ædil. E. d.* Ante igitur quam de omnibus consentiatur, nulla est venditio. Nec potest Venditor emtorem cogere, ut quadrigam, de cuius pretio convenit, deligat, quoniam nondum perfecta emtione utique licebit à tractatu habito recedere *pr. J. d. Empt. Vend.* Alias vero equos de-

Emtio quadrigæ certorum corporum quando perficiatur.

Quadriga incertorum corporum venditio.

*Affectus.
Ampl.*

B 3

ligere

Eqvos certos deligere Emto- ris est.

Redhibitio quadrigæ vitioſæ quando

quatenus lo- cum habeat.

Ampl.

Limit.

Quanti mino- ris quadriga ob equum vitioſum.

ligere emptori competere videtur, & si Venditor certa capita delegerit, eaque Emptori exhibuerit, non erit perfecta Venditio nisi emtor ea approbaverit, quoniam de certa merce utriusque conveniendum est. *L. 9. pr. d. Contrah. empt.*

§. 2. Circa Redhibitionem quadrigæ vitiosæ primò quærimus, An ea locum habeat, si emtor ipse vitiosos equos ex polia deligit, cum venditor ei liberam deligendi fecisset potestatem? Videtur autem nihilominus redhibitioni locus esse, quoniam delectus emtionem precedit, non vero insequitur, Delectorum enim corporum venditio facta est, ideoque Venditor vitium eorum quod scivit, secundum edictum Ædiliū debuit indicare *L. 38. pr. d. Ædil. Ed.* quamvis etiam de iis quæ ignoravit teneatur per *L. 1. §. 2. eod.* Nisi tamen vitium omnibus potuit apparere *L. 14. §. ult. eod.* aut ex signis potuit intelligi, quibus venditor vitium demonstravit *L. 1. §. 6. eod.* Quatenus autem redhibendum sit optime Ulpianus explicat in *L. 38. §. 14. de Ædil. Ed.* Cum jumenta inquit: paria veneunt, edicto expressum est, ut cum alterum in ea causa sit, ut redhiberi debeat, utrumque redhibeatur; in qua re tam emptori, quam venditori consulitur, dum jumenta non separantur. Simili modo, etsi triga venierit, redhibenda erit tota, & si quadriga, redhibeatur. Nec refert unum omnibus pretium dictum sit, an in singula capita. Ubi enim manifestum est, nonnisi omnes quem empturum vel venditurum fuisse, una emtio est, & ideo omnes redhiberi debent *L. 34. d. t.* Si tamen nondum sit quadriga constituta, sed simpliciter quatuor equi, uno licet pretio venierint, vitiosi tantum erit redhibitio. Nam etsi Polia i. e. equitium venierit, dicemus unum equum qui vitiosus est, non omnem poliam redhiberi oportere. Sed si quis bigas duas emerit, & unus vitiosus sit, una tantum biga redhibebitur, altera non item. *d. L. 38. §. ult.*

§. 3. Quod si ob unum bigæ vel quadrigæ vitiosum quanti minoris emtor egerit, locum habebunt, quæ Ulpianus circa æstimationem mularum proponit in *L. 38. §. 13. de Ædil. ad. Si jugum mularum sit, quarum altera vitiosa est, non ex pretio tantum vitio-*

sa, sed ex utriusque erit componendum, quanti minoris sit, Cum e-
rim uno pretio venierint, non est separandum pretium, sed quanti
minoris, cum veniret, utrumque fuit, non alterum quod erat vitio-
sum. Cæterum si non uno pretio quadriga venierit, sed in singu-
la corpora pretium sit constitutum, cuiusque corporis pretium se-
quendum erit, etsi una sit emptio. Nec enim damnum emptor
incurrit, cum omnem quadrigam, si velit, redhibere possit, pretio
recepto d. L. 34. d. Edil. Ed.

Distinguo.

Si uno pretio
empta sit.

Si in singula
corpora preti-
um dictum.

Spatium VI.

De Societate Quadrigæ.

§. I.

Societas quadrigæ vel habenda ejus est vel vendenda, quarum dif-
ferentiam bellissimè Celsus exponit in L. 58. D. pro Soc. Cum
tres equos haberes, inquit, & ego unum, Societatem coierimus, ut ac-
cepto meo, quadrigam venderes, & ex pretio quartam mihi redde-
res. Si igitur ante venditionem equus meus mortuus sit, non pu-
tare, Celsus ait, Societatem manere, nec ex pretio equorum tuorum,
si postea vendidisti partem mihi deberi. Non enim habenda qua-
drigæ, sed vendenda coitam societatem. Cæterum si id actum di-
catur, ut quadriga fieret, eaq; communicaretur, tuq; in ea tres
partes haberes, ego quartam, non dubiè adhuc socii sumus. Scil.
etsi equus meus perierit. Ratio est, quia hic utriusque periit, & in
tribus reliquis utriusque jus est. Igitur ab utroque suppleri qua-
drigæ debet. Quod autem priori casu, equo uno ante venditionem
mortuo, societas extingvatur, causa est, quia non ipsorum corpo-
rum, sed lucri ex venditione, seu pretii futuri Societas inita est.
Quo intelligitur, eo casu quadrigam communem minime factam;
In societate autem habenda quadrigæ, ea sine dubio communis
fit, ita ut hæc communio ad heredes transeat, quamvis non tam
ipsa Societas, quam jus in re ad eos transire videatur, scil. ut com-
muni dividendo possint agere, societatis autem obligatio inter
ipsum non teneat. Est præterea utenda fruenda etiam Quadri-
gæ

Differt Socie-
tas habenda &
vendida
quadrigæ.

Explic. L.
58. D. pr. Soc.

Alia Societas
utenda fruenda
quadrigæ.

Effectus.

Quid uni sociorum liceat?

Adfinis species at diuersi iuris.

Vinnius notans.

ga peculiaris Societas; puta, Si, cum onus quadrigis vehendum esset, unusque aurigarum bigam, & alter itidem bigam haberent, convenerit inter eos, ut iuncta quadriga onus illud, sive commune sive conductum, communi lucro veheretur. Sed nec hic quadriga fit communis, & ideo si equus unus decedat, non utriusque sed Domino suo perit, Neque tamen idcirco non quadrigae societas inita videri debet, cum ea non ad proprietatem sed ad usum pertineat, & dominus equi demortui, si in vehendo onere succubuerit, Societatis iudicio indemnis esse possit. Spectat autem Societas haec usum quadrigae universae; & ideo si unus eorum ante vecturam morietur, putandum est cum Celso, Societatem non manere, quoniam scilicet quadrigae non singulorum corporum Societas contracta est. Ob quod etiam dicemus, si non ad certum onus, sed in genere ad vecturas faciendas quadriga iuncta sit, non posse unum Sociorum singulis equis vel bigis uti, nisi aliud actum appareat, cum forte non tam quadrigae, quam quatuor eorum Societas vecturae causa inita esset. Sed & si triga usus modo sit Socius quadrigae, tenebitur, praesertim si unus eorum succubuerit, quemadmodum qui mulas ad certum pondus oneris conduxit & maiore onere eas rupisset. *L. 30. §. 2. D. Locati*, Par enim est culpa, sive quis majori onere, sive paucioribus equis, quam convenit, utatur, Nec tantum equi ratione tenebitur, sed & si quid praeterea interest. Caeterum a Societate uendae quadrigae diversa est illa Species, Si, cum bigam haberem, & vicinus bigam, placuerit inter nos, ut per decem dies ego ei & ille mihi bigam commodarem, ut opus iunctim faceret, Hic enim nec proprietas quadrigae nec usus ejus communis erit, sed cuiusque per decem dies propria utilitas. Incidit autem species ista in *Contractum innominatum*, ita, ut si apud alterum alterius equus perierit, non commodati, quia non fuit gratuitum commodatum, sed praescriptis verbis agendum sit. *L. 17. §. 3. D. praescr. verb.* Nam nec locati conducti competit actio per *§. 2. f. d. Locat. Cond.* quoniam permutationis potius genus quoddam est, *d. §. 2.* ut mirum sit, cur Vinnius ibi ad *Facio ut Facias* hoc referat.

Spa-

De Legato Quadrigæ.

§. I.

Quadrigæ vel *proprietas* legatur vel *ususfructus*, De illa prius. Et primò quadrigâ in genere legatâ, cum testator forte non eqvorum duntaxat, sed & boum quadrigam haberet, quænam debeat videndum est. Cùm verò supra dictum sit, *Quadrigæ appellationem* de *eqvis* frequentius usurpari, de his legatum rectè interpretabimur. Porro quadriga legata *an currus* quoque debeat dubitari potest? cùm currum quadrijugem etiam quadrigas vocari dixerimus, sed nisi alia mens testatoris probari queat, de eqvis tantùm sensisse videbitur, quoniam appellatio quadrigæ eqvis magis propria est, & ad currum per figuram dictionis solummodo trahitur. Id quod vel ex legibus, quæ de quadriga loquuntur constat. Nuspiam enim currum simul intelligi certum est, quod & supra monuimus in tract. generali. Harum denique quæstionum *utilitas* evidens, non solum testamento *latine* forte condito, sed & si nostra Lingva testator legaverit, *Ein vierspännig Geschirr*. Quemadmodum autem Quadrigæ una est stipulatio. *L. scire 29. D. d. V. O.* ita Legatum quoque quadrigæ unum est & *individuum*. Igitur, si cui quadriga legata sit, aut in singula capita certa pecunia, utrum Legatarius velit; non poterit duos eqvos vindicare, & pro reliquis duobus nummos petere, quia unum in alterutra causa legatum est. Nec interest in singula capita, an in universum pretium sit constitutum. Nam & quadrigâ aut certa pecunia legata non potest invitus hæres partem pecuniæ, partem eqvorum debere, *arg. L. 8. §. 2. D. de Leg. 1.* ubi de Lecticariis octo legatis idem respondit Pomponius, quos cùm quadriga æquivaravit Ulpianus *in d. L. scire 29. in f. pr. D. d. V. O.*

Quadriga legata qualis debeat?

An Currus quoque debeat?

Neg.

Legatum quadrigæ unum & individuum.

§. 2, Legatum quadrigæ *quatennus extingvatur* singularis est definitio Papiniani *in L. 65. §. 1. de Leg. II.* *Quadrigæ legatum* inquit, *eqvo postea mortuo, perire quidem ita credunt, si equus ille decessit, qui demonstrabat quadrigam, sed si medio tempore de-* *minuta suppleatur, ad legatarium pertinebit.* Equus qui *demon-* *strat quadrigam*, Papiniano videtur esse optimus, seu potior, qui reliquos forma corporis antecellit, & in summa, cuius gratia reliqui

Legatum quadrigæ uno mortuo an extingvatur?

Papiniani definitio.

Explicatur.

com-

Equus quadrigam demonstrans.

Quid alii sentierint J.Cti.

An Papinianus distinct. inter equum demonstrantem & alium probet?

comparati sunt; Rusticis plerumque gestans ephippium, das Sattel- Pferd. Solet enim his optimus esse, qui est robustior, atque robustiori ephippium imponunt. In cæteris domini sententia spectanda; quo de infra latius. *Medium tempus* est, ante diem legati cedentem; significatur enim equus vivo testatore mortuus. Duo sunt autem, quæ Papinianus proponit: *primò*, quosdam credere, equo potiore mortuo quadrigæ legatum perire, *deinde*, Quadrigam deminutam, si suppleatur, ad legatarium pertinere. Quod utrumque quatenus accipi debeat, dispiciendum. Et initio quidem non obscure innuit, *alios contra* simpliciter statuisse non perire legatum uno equorum decedente. Quamvis enim Ulpianus simpliciter dicat usumfructum extingui, si unus ex equis decesserit, *L. 10. ff. quib. mod. Ususfr. amitt.* Unde videri possit alios contra simpliciter existimasse, Legatum quadrigæ uno mortuo perire, si ve decesserit, qui quadrigam demonstraverit, si ve alius; diversa tamen est Legati Ususfructus quadrigæ, à proprietate legatæ ratio, cum Ususfructus quadrigæ non nisi in quatuor equis consistere possit; Proprietas autem in singula corpora diffundatur. Nec movet, quod Ulpianus ibi hanc rationem addit, quoniam quadriga esse desuit. Hoc enim non ad jus, sed ad factum referendum supra monuimus; & jure quidem non simpliciter quadrigam uno mortuo desuisse videri satis constat, cum alias suppleri non posset, sed nova semper quadriga censeretur, *Magis* ergo est, ut circa legatum quadrigæ alios sensisse dicamus, uno mortuo. illud non perire, etiamsi decesserit, qui quadrigam demonstravit. *Quæ sententia* etiam habet *rationem*, cum quadrigæ corpus à Domini voluntate & consilio dependeat, ut videatur illud equo etiam potiore mortuo sustineri ita posse, si alio Substituto dominus pro eadem quadrigâ habeat. Accedit, quod grege legato, si deminutum ex eo pecus esset, & vel unus bos superesset, eum vindicari posse Pomponius scribat, quamvis grex esse desisset *L. 22. D. de Leg.* Et aliàs quoque constat, rei mutatione legatum non perire, unde Insulâ legatâ, si combusta sit, arcam posse vindicari Ulpianus scribit *in d. L. 22. d. Leg. I.* Sed & si pocula legavit, & massa facta est vel contra, deberi quod extat. *L. 44. S. i. d. t.* Sed *an Papinianus* illorum sententiam, qui legatum perire crediderunt, *approbet*, num verò in medium relinquat? haut facile quis dixerit, nec de hoc forte laboran-

randum, postquam Justinianus eam sine dubio suam fecit. Mihi tamen magis videtur Papinianus eandem tacite approbare, dum enim eam refert, sibi *non displicere* indicat. Nec opinio hæc ratione caret, modò attendamus, verba illa Papiniani: *Qui demonstrabat quadrigam*, non ad equum potiore & optimum in se, sed ad mentem & animum testatoris referendam. Posito nimirum destinatione Defuncti in quadrigam unum præcipuum fuisse, qui demonstrabat quadrigam, sequitur sanè, mortuo eo quadrigam & consequenter legatum ejus periisse, vel ipsius testatoris judicio, ita quidem, ut alio licet substituto legatum non convalescat, quoniam nova sit quadriga, utpote cum reliqui novo capiti accedant. In quo *diversa est gregis ratio*, cum in eo nullum caput alteri accedat, Ast in quadriga certum est, sæpius unum caput præcipuum haberi, cui reliquæ accedant, Quare nec ad rem pertinet, quod insulâ legata, si combusta sit, area debeat. Hic enim illud, cui reliqua accedebant, superest. Sed & in poculo ad massam reducto diversa causa est, cum hîc materia maneat, In iis autem rebus, quarum una alteri accedit, principali peremptâ, materia superesse non videtur, adeoque nec illæ, quæ huic accesserant debentur. Itaque si alius quam qui quadrigam demonstrabat, decesserit, legatum non perit, exemplo gregis in *d. L. 22. D. d. Legat. 1.* quin & si in locum demortuorum alii substituti sint ad legatarium pertinebunt, quoniam eadem quadriga videtur *p. d. L. 22. d. Legat. 1. Facit §. 17. inf. f. d. Leg. L. 1. §. 1. D. de Instrum. leg.* Et hoc est, quod altero loco Papinianus proponit, cum ait: *Sed si deminuta suppleatur ad legatarium pertinebit*, Non enim ita hoc accipiendum est, quasi alio in locum equi demonstrantis substituto, legatum quod perierit, reviviscat, id quod juri non convenit; sed potius quod diversa causa sit quadrigæ extinctæ, puta si equus decesserit, qui quadrigam demonstrabat, alia quadrigæ deminutæ, si reliqui fortè decesserint, Hic enim adeo legatum non perire, ut etiam si suppleta fuerit quadriga, tota legatario debeat, Quo simul significat, etiam si non suppleta fuerit, reliqua tamen capita ad legatarium pertinere, modo ille qui demonstrabat quadrigam, superstes sit. Hinc denique apparet, ubi nullus in quadriga equus fuerit, quem Testator præcipuum habuerit, ne utique perire legatum, etiam si optimus in se equus decesserit.

Mens Papiniani in priori propositione.

Mens Papiniani in altera propositione.

*Ususfructus
quadrigæ le-
gatum uno
mortuo.
distinctionem
Papiniani re-
cipit.*

§. 3. De *Usufructu* quadrigæ legato quatenus pereat, non-
nulla dicere anticipavimus, ubi de *Usufructu* ejus in genere ex-
positum est. Quibus nunc illud addimus; *etiam* in *usufructu* qua-
drigæ legato *distinctionem Papiniani* obtinere. Nam si equus de-
cesserit qui *demonstrabat* quadrigam, *Testatori* puta, *Ususfructus*
ita perit, ut nec alio substituto debeat, quoniam nimirum qua-
drigæ plane periit, & tam testatoris iudicio, quam juris intellectu
esse desiit, adeoque non suppleta sed nova facta intelligitur, quem-
admodum si ædibus exustis aliud ædificium reponatur, *L. 36. pr. d.
Usufr. L. 10. §. 1. D. quib. mod. Usufr. am.* Sed si alius equus ex qua-
drigæ decedat, *Ususfructus* est in suspenso, quoniam quadriga solo facto
non juris intellectu esse desiit, cum possit suppleri. Itaque, siquidem
suppleatur quadriga, *Ususfructus* debetur. Sin, evanescit, cum non
alia mens testatoris fuerit, quam ut quatuor tantum equorum si-
mul *Ususfructus* esset. Quod igitur in *L. 11. D. quib. mod. Usufr. am.*
ex Paulo refertur: *Ususfructus* legatum non extingui, si alius equus
ante diem legati cedentem substitutus sit, vel distinctionem illam
Papiniani recipit, vel *strictè* interpretandum est, ut substitutum
non in facto solum sed *jure* quoque intelligamus, puta ubi alio
substituto eadem quadriga habetur,

Spatium VIII.

De Damno Quadrigæ.

*Estimatio
damni in qua-
drigæ dati.*

§. 1. Superest ut de *damno* quadrigæ non nihil adjiciamus, ubi præ-
cipuis ejus *estimatio* sese offert, quæ de Paulum audiamus in
L. 22. §. 1. D. ad L. Aquil. Si quis, inquit, ex quadriga aut pari-
mularum unum vel unam occiderit, non solum perempti corporis *esti-
matio* facienda est, sed & ejus ratio haberi debet, quo cetera corpo-
ra depreiata sunt quia causa corpori coherentes *estimantur*. His
paria, sunt quæ de *estimatione* vitiosi in *Actione Quanti Minoris*
ex Ulpiano supra retulimus.

§. 2. In *summa* notandum est, quod quæ in reliquis juris
tractatibus de quadriga forte dubia occurrunt, ex his quæ dixi-
mus, nullo negotio definiri possint. Ad *Metam* igitur his *spatiis*
emensis properamus & acquiescimus

IN DEI GLORIA.

05 A 2219


ULB Halle 3
003 783 901



VD17







B.I.G.

Farbkarte #13

Zytha

CUM DEO.
CIRCENSES

Quasi,
Circo Jctorum Wittenbergensium
agitata
hac

VADRIGA,

PRÆSIDE
Viro Nobilissimo
GEORGIO MICHAELE
HEBERO,

Prof. Publ. Collegiorumqve Juridicor.
quæ ibi sunt, Adessore.

Edidit
PRO LICENTIA
Quam vocant,
RIS DOCTORUM JURIBUS

utendi
IND. RICHARD. JAUCHIUS,
Misenensis.

die 23. Octobr. A. C. 1683.
Hor. ante & pomerid.

WITTENBERGÆ,
MATTHÆI HENCKELII, Academ. Typogr.